



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](#)



## PSALMUS I.



**N**on nulli Psalmum hunc Esdræ esse volunt, qui Psalmos in ordinem digessit; eum tamen Davidi tribuunt S.S. Ambros. Hilar. Basil. Aug.: imo & Hieronymus, qui alioqui multos facit authores Psalmorum.

Apud Hebræos Psalmus hic caret titulo; in textu græco præfigitur: *David Prophetæ, & Regis melos.*

Argumentum: *Beatitudo sive inspe, si-  
ve in re, contingit soli homini justo.* Et cum  
beatitudo fundamentum, & principium do-  
ctrinæ moralis sit, Psalmus hic aptissime  
primo loco ponitur.

¶. 1. *Beatus Vir, qui non abiit in  
consilio impiorum, & in viâ peccatorum  
non stetit, & in Cathedrâ pestilentiae  
non sedit.*

¶. 2. *Sed in lege Domini voluntas ejus,  
& in lege ejus meditabitur, die ac nocte.*

A 4

Justus.



Justus est (igitur & beatus) qui non sequitur leges impiorum, seu malè vivendo; seu malè docendo; sed cupid (quæ voluntas, uti & justitia, stare potest cum peccato veniali) legem Dei servare, ideoque die, ac nocte, h. e. frequentissimè animum ad legis præcepta revocat. Notat Basilius, per id, quod dicitur, *Beatus Vir*, non excludi fœminas à beatitudine, sed includi, quia mulier in viro, ut membra in capite intelliguntur.

Demum advertendum, Davidem hic, & alibi, more suo, ac aliorum Prophetarum, idem bis repetere, ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius.

*V. 3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

*V. 4. Et folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.*

Antea justum definivit, jam illum declarat beatum à similitudine arboris, quæ habet omnia, quæ in arbore felicissimâ requiri possunt; nimirum & folia semper retinet, & omnes omnino fructus tempore

pore suo maturos præstat, ut sunt Pinii, Palmæ, Oleæ, quibus Scriptura justos passim comparat. Justi itaque fundati, & radicati in charitate, propinqui sunt per amicitiam Fonti Vivo, unde humorum gratiæ semper trahunt, operaque omnia, usque ad porum aquæ datum, plenam recipient mercedem.

*V. 5. Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.*

Ab opposito confirmat Propheta felicitatem justorum. *Non sic impii, non eandem sortem recipient; sed Divino illo humore destituti, aridi, & steriles instar levissimi pulveris à vento dispersi, ne vestigium sūi relinquent, utpote amissis omnibus fortunæ donis, æternum periguri.*

*V. 6. Ideo non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in Concilio justorum.*

Declarat Propheta, discrimen justorum, & impiorum in novissimo iudicio perspicuè manifestandum: nam hoc tempore saepe accidit, ut omnia confundantur. *Cum resurgent impii, non erunt in*

CON-

confortio justorum; sed judicati ad inferos, in cætu damnatorum erunt.

*V. 7. Quoniam novit Dominus Viam  
justorum, & iter impiorum peribit.*

Reddit rationem, cur impii non sint in judicio accepturi justorum gloriam: quia via justorum noscitur, seu approbatur à Deo, qui falli non potest; ac per hoc via est recta, & perducens ad Civitatem Dei: via impiorum non approbatur à Deo; & qui per eam ambulant, frustra laborant, quia nunquam pervenient.

Psalmus hic potest adjudicari omnibus Sanctis, Præsertim Christo, qui antonomasticè justus est, qui præ omnibus legem Dei implevit, factus obediens usque ad mortem; & ideo tanquam lignum plantatum juxta rivos aquarum, habens animam conjunctam hypostaticè fonti vivo, qui est Verbum Dei, fons Sapientiae in excelsis, gloriâ, & honore coronatus est, & fructus mirabiles edidit, & ad maturitatem perduxit, omnes videlicet electos vocavit, justificavit, magnificavit.

PSAL-